

*DO.* oiei. *PH.* alio pacto honeste quomodo hinc abeam  
nescio.

50 actumst, siquidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere. —

*PY.* Parmenoni' tam scio esse hanc tech(i)nam quam me  
vivere.

*DOR.* sic est. *PY.* inveniam pol hodie parem ubi referam  
gratiam.

sed nunc quid faciundum censes, Dorias? *DOR.* de istac 720  
rogas

virgine? *PY.* ita, utrum taceam an praedicemne? *DOR.*  
tu pol, si sapis,

55 quod scis nescis neque de eunucho neque de vitio virginis.  
hac re et te omni turba evolves et illi gratum feceris.

id modo dic, abisse Dorum. *PY.* ita faciam. *DOR.* sed  
videon Chremem?

Thai' iam aderit. *PY.* quid ita? *DOR.* quia, quom inde 725  
abeo, iam tum occeperat

turba inter eos. *PY.* tu aufer aurum hoc. ego scibo ex hoc  
quid siet.

v

## CHREMES PYTHIAS

*CH.* Attat data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.  
at dum accubabam quam videbar mi esse pulchre sobrius!  
postquam surrexi neque pes neque mens sati' suum officium  
facit.